

legatum Venetum questus ei ostendit, libenter se ab Gal- 1495  
*lis discessurum, fœdusque cum republica renovaturum.* Erant  
præterea in urbe Maximiliani regis legati, cuius pater  
Federicus Imperator eo anno mortem obierat, qui Sena-  
tum in Gallos incitare non desistebant. Eorum oratio,  
propterea quod Maximilianus Ludovici fratris filiam in  
matrimonium duxerat, eratque cum eo plane conjunctissimus,  
ex ipsius ore Ludovici mitti propemodum vide-  
batur. tametsi Maximiliano quidem ipsi omnis erat ad  
Gallorum opes atque potentiam invisa molestaque acce-  
sio: quem quidem etiam recens accepta insignis injuria  
contra Carolum stimulabat, Margarita filia sua cum do-  
te plures ante annos ei tradita, cui tamen Carolus pro-  
pter ætatem puellæ nondum se adjunxerat, repudiata,  
Annaque Armoricanum gentium regina, quam Franci-  
scus pater Maximiliano spoponderat, sibi a Carolo præ-  
repta, & uxore ducta. Interim Neapolitanis arcibus dua-  
bus partim vi, partim precio expugnatis, magna Cala-  
brorum populorum, magna Brutii, magna etiam Apuliæ  
parte in dditionem recepta, Carolo non jam ea qua con-  
fueverat facie facilitateque legatos Venetos admittente,  
nonnihil etiam interdum jactante, *brevi fore, ut qui se*  
*noluerant in Italiam trajicere, Neapolimque capere, eos*  
*suæ malivolentiæ pœniteret:* de fœdere inter eos sanciendo  
diligentius est agi cœptum per eorum omnium legatos  
apud Senatum: ad quem quidem Ludovicus eam ob rem  
novam etiam legationem miserat. Suares quidem ipse jam  
ab initio suarum hortationum Patribus dixerat, jussum se  
ab regibus, *quamcunque fœderis legem Senatus juberet,*  
*in ejus verba jurare: satis sibi fore, si unum modo sci-*  
*rent, Senatum ita statuendum judicavisse.* Nam omnino  
Alexander, qui jam Gallos esset expertus, dixissetque  
palam, *si redeant, se Venetas, ne eos iterum videat, pro-*  
*fectorum:* cupidissime avidissimeque illum ipsum expecta-  
bat diem, quo se cum republica reliquisque conjungeret.

Itaque pridie calendas aprilis fœdus initum ab iis,  
sancitumque est in annos **XXV.** majestatem Romani Pon-  
tifi-